

quo res actu sunt, potius colligendum est res in seipsis, et non in Deo esse intelligibiles. Etenim *esse* rerum, cum a Deo pendeat, ab *Esse* Dei distinguitur. Atqui res sunt intelligibiles ex eo, per quod *actu* sunt. Ergo res, cum *actu* sint per *esse* distinctum ab *Esse* Dei, in seipsis, et non in Deo sunt intelligibiles.

## CAPVT III.

## De methodo eclectica, atque de methodo auctoritatis

Inter diversas species methodorum, de quibus modo diximus, methodum *eclecticam*, seu *electivam*, et methodum *auctoritatis* haud recensuimus, quia haec, nostra quidem sententia, potius cuiuscumque methodi defectus, quam peculiare methodi sunt. Verum, quoniam hac nostra aetate non ignobiles fautores, maxime in Gallia, nactae sunt, illas sine aliquo examine mittere nefas foret.

## ART. I. De methodo eclectica

31. Methodus eclectica, quae *ecletismus* quoque dicitur, statuit tutam, et expeditam viam ad scientiae consecutionem esse illam, qua veritates eliguntur, quae in omnibus philosophorum systematis continentur, atque inde perfecta rerum scientia conficitur. Haec methodus, nostra aetate, Cousinium, eiusque discipulos propugnatores habet. Cousinius statuit 1° errorem *purum* in mentem humanam cadere non posse, sed errorem non aliud esse, quam veritatem *incompletam*, quia quaelibet opinio aliquam partem veritatis complecti debet; 2° systemata philosophorum, quae dicuntur *falsa*, ita appellari, non quia nulla pars veritatis in eis sit, sed quia veritatem incomplete exhibent; 3° non aliud philosophiae systema verum esse, quam quod omnia elementa cognitionis humanae colligit, et explicat; 4° nullum philosophum usque ad hanc aetatem complexum esse integram veritatem, sed singulas eius partes modo ab his, modo ab illis expositas fuisse. Ex his confecit methodum philosophandi aetati nostrae unice accommodatam illam esse, quae quotquot a philosophis dicta sunt, colligit, eaque inter se connectit <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> *Fragmens, Préf.*

32. Prop. *Methodus eclectica falsa in se est, et falso fundamento innititur.*

*Probatur* prima pars. Ut, secundum eclecticos, diversae veritatis partes, quas Philosophi seorsum docuerunt, colligi possint, aliqua norma, seu methodus expostulatur. Atqui sive ecletismus hanc normam sectetur, sive ipsam respuat, tamquam via ad scientiam assignari non potest. Ergo. *Minor* ita demonstratur. Si ecletismus quamdam normam, seu methodum sectetur, iam non ecletismus, sed haec, quae ei praecedit, norma est via ad verum inveniendum. Sin omnem normam respuat, partes veritatis ex omnibus philosophorum systematis fortuna quadam construuntur, ac proinde scientia, quae ex illis conficitur, certa esse non potest.

33. *Probatur* altera pars. Neque error est veritas incompleta, neque aliqua veritatis pars in falsis systematis Philosophorum continetur. Ergo ecletismus falso fundamento innititur. Antecedens ita demonstratur:

1° Tum mens in errore versari dicitur, cum asserit id, quod non est, vel negat id, quod est. Tum autem dicitur potiri incompleta cognitione veritatis, cum, etsi non cognoscat omnia, quae rei insunt, tamen asserit aliquid, quod re ipsa ad illam pertinet. E. g., si quis putet hominem esse substantiam mere intellectualem, in errore versatur, quia homo ex anima, et corpore componitur; sin cognoscat hominem esse animal, et ignoret esse rationale, certe perfecta notionem hominis haud potitur, sed in errore non versatur, quia re ipsa homo est animal. Ergo error cum incompleta cognitione rei confundendus non est. Neque veritas incompleta est aliquid medium inter veritatem et errorem, sed est aliquid medium inter ignorantiam absolutam, et cognitionem perfectam, quippe quod quisquis illam assequitur, nec rem omnino ignorat, nec totam, quanta est, cognoscit.

2° Si opiniones, et systemata Philosophorum, quae falsa sunt, examini subieceris, nullam veritatis partem in iis, quatenus falsa sunt, deteges. E. g., nulla ratione verum est Materialistarum systema, quo adstruitur, *quidquid existit esse materiale*, neque systema Idealistarum, quo asseritur, *quidquid existit esse spirituale*; siquidem materialismus pro falso habetur, non quod materiam esse adstruit, sed quod ullos spiritus esse negat, et idealismus in errore versatur, non quod spiritus esse asserit,



sed quod corpora esse negat. Hinc, si idealismi, et materialismi pronuntiata iunxeris, non efficietur systema, quod utrumque complectitur, sed quod ipsum sibi repugnat, nempe, *quidquid existit, est spirituale, et materiale.*

ART. II. De methodo auctoritatis

34. Methodus auctoritatis, si in universum spectetur, in eo posita est, quod scientia confici dicitur non ex notitiis ab ipsa mente comparatis, sed extrinsecus, hoc est a Revelatione acceptis.

35. Prop. *Methodus auctoritatis absurda est.*

*Probat.* Inter methodi auctoritativae defensores nonnulli, uti Botenius<sup>1</sup>, contendunt scientiarum principia ex Revelatione sumenda esse; alii, inter quos Lamennaisius<sup>2</sup>, docent nos ipsas veritates, de quibus agitur in scientiis, a Revelatione accipere. Alii denique, uti P. Ventura<sup>3</sup>, sentiunt philosophi munus non esse veritates intellectuales, et morales *invenire*, quia hae ab educatione domestica, et a traditionibus generis humani apprehenduntur, sed tantum illas *demonstrare*, hoc est ab erroribus discernere, evolvere, ac contra illorum adversarios, aut corruptores tueri. Hinc sanciant veram philosophandi methodum esse *demonstrativam*, non *inventivam*, sive *inquisitivam*.

36. Iam contra illos, qui primam sententiam tenent, hoc adstruimus argumentum: Scientiae naturam suam sumunt ex principiis, quae in eis adhibentur. Atqui principia omnium scientiarum, secundum eos Philosophos sunt revelata. Ergo omnes scientiae revelatae dicendae sunt; ac proinde, admissa illa sententia, omnis scientia humana destruitur.

37. Illos autem, qui alterum docent, perstringere licet hoc dilemmate: Vel mens nostra cognoscit propriis viribus principia, ex quibus veritates, de quibus in scientiis agitur, promanant, vel non cognoscit. Si hoc alterum admittunt, sese scepticos esse profitentur, seu fateri coguntur nullam veritatum cognitionem scientificam menti nostrae suppetere, siquidem cognitio, quae ex rei principiis non deducitur, *vulgaris*, non autem scientifica est<sup>4</sup>. Sin primum, ipsi sibi contradicunt, nam cum mens

<sup>1</sup> De l'enseignement de la phil. au XIX siècle.

<sup>2</sup> Essai sur l'indifférence en matière de religion, c. 12.

<sup>3</sup> De methodo philosophandi, Dissert. prélim., art. 3, et 4.

<sup>4</sup> Cf. p. 55.

nostra principia ex se perspicere possit, et polleat ratione, quae ex principiis conclusiones deducere valet, certe cognitio veritatum est naturalis, proindeque ex Revelatione repetenda non est.

38. Denique contra sententiam P. Venturae ita arguimus: 1° Mens nostra, ut ipse P. Ventura fatetur, verum a falso discernere valet; quod idem est, ac cognoscere quid verum, quidve falsum sit. Atqui cognoscere quid verum, quidve falsum sit, idem est ac invenire verum. Ergo, secundum eiusdem P. Venturae principia, mens nostra verum invenire posse dicenda est. 2° Per demonstrationem illud, quod ignotum erat, deprehenditur, vel illud, quod erat minus notum, notius efficitur. Atqui cum id, quod ignotum erat, deprehenditur, aut id, quod est minus notum, notius efficitur, certe aliquid invenitur. Ergo ipsa natura demonstrationis expostulat, ut per illam verum inquiretur; ac proinde discrimen illud, quod Ventura invexit inter methodum *inquisitivam*, sive *inventivam*, et *demonstrativam*, prorsus absurdum est.

CAPVT IV.

Utrum diversae scientiae diversis methodis tractandae sint

39. Iam demonstravimus mentem nostram primas cognitiones scientificas rerum non nisi methodo *analytico-synthetica* acquirere posse. At scientia, ut diximus<sup>1</sup>, potest etiam latiori significatione accipi, ita ut denotet quodcumque systema cognitionum, quae ad certum quemdam ordinem rerum affinent, atque scientiae, si hoc sensu accipiantur, sunt, ut quoque diximus<sup>2</sup>, inter se diversae, prout sunt diversa genera rerum, de quibus ipsae tractant. Quapropter inquiremus oportet, utrum eunctae diversae scientiae unica methodo, an diversis methodis tractandae sint.

ART. I. Vera sententia adstruitur

40. Nos, s. Thomam<sup>3</sup> seculi, scientias omnes eadem methodo tractari non posse tuemur. Quare statuimus hanc propositionem: *Scientiae aliae aliis methodis tractandae sunt.*  
*Probat.* Mens diversis viis in cognitione rerum procedit,

<sup>1</sup> P. 68. — <sup>2</sup> P. 69-70. — <sup>3</sup> In lib. I Ethic., lect. III.



prout ipsae in se diversae sunt, et diverso modo ad illius facultates cognoscendas referuntur. Atqui res, in quibus scientiae versantur, sive considerentur in sua natura, sive prout referuntur ad vires cognoscendas animae, sunt diversae. Ergo illas diversis viis mens cognoscat necesse est. Atqui methodus via est, qua mens in cognitione veritatis progreditur. Ergo illas diversis methodis mens cognoscat necesse est. Praestat id aliquo exemplo confirmare. In scientiis physicis alia sane methodus, quam quae in mathematicis, adhibenda est. Etenim, scientiae physicae tractandae sunt methodo analytico-synthetica, quia, cum circa res extra mentem positas versentur, prius necesse est mentem illarum causas inquirere, post aulem ex causis iam compertis res ipsas distincte cognoscere. E contrario in scientiis mathematicis methodus synthetica obtinet. Etenim scientiae mathematicae res abstractas, atque intelligibiles tractant, ac proinde mens potest ex principiis universalibus proficisci, atque ex his conclusiones, alias post alias, eruere, prout alias aliis contineri perspicit <sup>1</sup>.

ART. II. Defensores adversae sententiae refutantur

41. Philosophi, qui unicam methodum in cunctis scientiis adhibendam esse pugnarunt, ex diversis momentis ad doctrinam suam excogitandam permoti sunt. Nonnulli, ut Cartesiani, in cunctis scientiis methodum geometricam commendant, quia arbitrantur certitudinem, quae scientiarum mathematicarum propria est, perinde quaerendam esse. Alii, ut Lockiani, et Condillachiani, unicam methodum inductivam probant, quia omnes scientias nonnisi eodem instrumento, nempe inductione, adquiri putant. Denique alii, inter quos Germaniae Philosophi Transcendentales praecipue recensentur, unicam methodum in cunctis scientiis tenendam esse docent ex eo, quod unicum esse principium omnium scientiarum sibi persuadent.

<sup>1</sup> Circa hanc rem iuvenes monitos volumus, cum scientiae methodo synthetica, aut analytica tractandae dicuntur, id non esse de singulis demonstrationibus intelligendum, ex quibus scientia constat, sed tantum de modo, quo tota series demonstrationum incipit, et progreditur. E. g., scientiae mathematicae, etsi synthesi innitantur, tamen in problematum resolutione non raro analysi utuntur. Euclides, et veteres Geometrae in universum methodo synthetica demonstrationes conficiunt; recentes methodum analyticam syntheticae anteferre solent.

Haec omnia falsa esse evincemus sequentibus propositionibus:  
42. Prop. 1<sup>a</sup>. *Illam certitudinem, quae propria Mathematicae est, in omnibus scientiis quaerendam non est.*

*Probatur.* Certitudo cognitionis respondeat oportet naturae rei, circa quam versatur. « Ad hominem bene instructum, ait s. Thomas, pertinet, ut tantum certitudinis quaerat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur <sup>1</sup> ». Atqui res, circa quas scientiae versantur, sunt diversae. Ergo certitudo diversi generis in diversis scientiis sit oportet; ac proinde eadem certitudo, quae propria mathematicae est, quaerenda non est in omnibus scientiis. Et sane, in Mathematicis, ut idem sanctus Doctor inquit, *certissima ratio requirenda est*, quia versantur in iis, quae sunt *abstracta a materia, et tamen non sunt excedentia intellectum nostrum*. Ast eadem certitudo in illis disciplinis quaerenda non est, quae circa materiam sensilem versantur, materia enim sensilis mutationi est obnoxia; neque in illis, quarum obiecta humanas vires cognoscendi praetergrediuntur, cuiusmodi sunt substantiae mere intellectuales; illa enim, quae omnino immaterialia sunt, *non sunt certa nobis propter defectum intellectus nostri* <sup>2</sup>.

43. Prop. 2<sup>a</sup>. *Inductio unicum instrumentum omnium scientiarum esse non potest.*

*Probatur.* In quolibet genere rerum, ut iam ostendimus <sup>3</sup>, ad cognitionem scientificam alicuius rei assequendam inductione, et syllogismo opus est. Atqui, si sola inductio nullam alicuius rei scientificam cognitionem per se nobis largiri potest, multo minus omnium scientiarum unicum instrumentum esse potest. Ergo.

44. Prop. 3<sup>a</sup>. *Unicum esse nequit principium omnium scientiarum.*

*Probatur.* Mens nostra cognitionem veram tunc assequitur, cum haec cum re, quam repraesentat, adamussim consentit; quapropter scientiae, quippe quae derivantur a cognitione principiorum, ex quibus res existunt, non possunt veram cognitionem rerum nobis praebere, nisi earum principia cum principiis ipsarum rerum omnino cohaereant. Quae cum ita se habeant, argumentamur hunc in modum: Principia scientiarum consentanea sint oportet principiis obiectivis, et realibus ipsarum rerum.

<sup>1</sup> In lib. I *Ethic.*, lect. III.

<sup>2</sup> In lib. II *Met.*, lect. V. — <sup>3</sup> Cf p. 76, et 78-79.



Atqui species rerum, quae sunt obiectum cognitionis humanae, diversae sunt. Ergo diversa sint oportet principia cognitionis humanae. « Non tamen, ait s. Thomas, est possibile, quod ex solis aliquibus taliter communibus possint omnia syllogizari, quia genera entium sunt diversa <sup>1</sup> ». Ex quo argumento colligitur unitatem principii omnium scientiarum cum pantheismo, in quo unitas entis adstruitur, cohaerere; siquidem, cum principia scientiarum rebus, de quibus in scientiis agitur, consentire debeant, necesse est ut, si unicum esset principium omnium scientiarum, unicum ens re ipsa existeret.

## CAPVT V.

## De methodo docendi

## ART. I. Quid sit docere, declaratur

45. *Docere*, secundum s. Thomam, non aliud est, quam « causare scientiam in alio operatione rationis naturalis illius <sup>2</sup> ». Sane mentes humanae sunt in *potentia activa* ad scientiam, quia ipsae per lumen naturale intellectus cognoscunt principia, quae sunt quaedam semina scientiarum; proindeque docentis non aliud munus est, quam mentem discipuli per signa exteriora adiuuare, ut hic ex principiis ei notis conclusiones, quae principiis continentur, ratione sua eliciat. Ex his vides a magistro, non tanquam causa principali, sed tanquam causa adiutrice, scientiam in discipulo progigni; quia quantavis media ad discipulum erudiendum magister adhibeat, semper discipulus ratione sua scientiam in se efficit, et tum vere scientiam addiscere dicitur,

<sup>1</sup> In lib. I Post., lect. XLIII. Monere hic praestat ab unico principio contradictionis, nempe, *Non potest idem simul esse, et non esse*, omnes scientias derivari non posse. Et sane, principium contradictionis procul dubio est supremum principium logicum, quippe quod rationem reddit, cur principia communia omnium scientiarum vera sint; si quis enim investigare velit, cur de illis principiis ne minimum quidem dubitari possit, statim deprehendit id ex eo evenire, quod, si falsa essent, idem simul affirmaretur, et negaretur. At vero inde haud fluit illud principium esse huiusmodi principium supremum, ut ex ipso, velut ab unica causa, universa scientia promanet. Etenim principium contradictionis est principium commune; ex principio autem communi, utpote quod circa nullam specialem materiam versatur, nullius obiecti cognitio erui potest. Cf s. Thom., in cit. lib. I Post., ibid., et lect. XX.

<sup>2</sup> Qq. disp., De Ver., q. XI, a. 1 c.

cum considerat utrum ea, quae a magistro explicata sunt, vera sint, neene. Exemplo hanc rem idem sanctus Doctor illustrat, et confirmat. Quemadmodum medicus corpus aegrum ad sanitatem revocat, non quod ipse per se aegritudinem a corpore repellit, sed quod cibos, et medicamenta corpori suppeditat, quibus natura corporis ad aegritudinem expellendam adiuuatur; ita magister scientiam in discipulo gignit, non quia eandem scientiam suam ei tradit, sed quia per signa quaedam mentem eius revocat ad considerationem principiorum, quae naturaliter cognoscit, et conclusionum, quae principiis continentur <sup>4</sup>.

## ART. II. Quenam sit methodus, qua scientiae tradendae sunt

46. Non pauci philosophi, inter quos nuperrime A. Garnierius<sup>2</sup>, non aliud discriminis inter methodum analyticam, et syntheticam ponunt, quam quod illa inventionem, haec expositionem veri spectat. Hanc sententiam refellimus sequenti propositione:

47. *Scientias eadem methodo, qua inventae sunt, tradere praestat.*

*Probat.* Magister, ut iam diximus, non aliter docet discipulum, quam quod signis quibusdam, nempe *sermone*, illam argumentationem, qua ipse verum cognoscit, discipulo manifestat; et discipulus non sermone, sed argumentatione, quam, ope illius sermonis, mente sua repetit, scientiam acquirit. Atqui, si discipulus scientiam non aliter a magistro discit, quam quod eandem argumentationem, qua hic scientiam invenit, mente sua repetit, liquet scientias non alia methodo tradendas esse ab illa, qua inventae sunt. Ergo. Id ipsum s. Thomas hoc facili argumento comprobavit. Inter duas methodos inventionis, et doctrinae non aliud interest, quam inter naturam, et artem, siquidem methodus inventiva est naturalis, methodus doctrinae autem est artificiosa. Atqui artis proprium est imitari naturam. Ergo methodi doctrinae idem debet esse processus, ac methodi inventionis <sup>3</sup>.

48. Difficultas autem, quae vulgo creditur, addiscendi scientiam eadem methodo inventionis, nulla est. Etenim qui scientiae principia per se invenit, plerumque plures, diversasque vias ingredi debet, ut quanam illarum ad verorum principiorum rei

<sup>1</sup> Ibid. — <sup>2</sup> *Traité des facultés*, lib. VIII, c. 2, § 3. — <sup>3</sup> Ibid.



quaesitae inventionem ducat, tuto cognoscat. Ast is, qui scientiam a magistro edocetur, iam ab initio illam viam certe novit, quae ad cognitionem principiorum recta ducit. Quocirca inter magistrum, qui ex se verum invenit, et discipulum, qui illud a magistro edocetur eadem methodo, qua inventum ab eo est, illud interest, quod inter viatorem, qui sine ullo duce, et viatorem, qui duce aliquo iter aggreditur. Hic enim, cum ab initio viam cognoscat, quae ad metam optatam ducit, illuc recta pergit; ille autem hac illac discurrere debet, donec viam, quae ad metam perducit, detegat, illamque ingrediatur.

### APPENDIX

#### Praenotiones de arte critica

49. Quoniam ad alicuius scientiae adeptionem veros librorum auctores cognoscere, eorumque loca obscura interpretari plurimum confert, nonnullas de *Arte critica* notiones ad calcem huius Logicae exponere visum nobis est.

*Criticae*, nempe iudicatricis nomen habuit *ars de aliorum scriptis indicandi*, eiusque pars, quae de interpretatione librorum regulas tradit, peculiare nomen *Hermeneuticae*, sive Interpretativae habet.

50. Atque, ut a definitionibus verborum ordiamur, *genuinus* est liber, qui eum habet auctorem, cuius nomen praesefert, *suppositus* vero, sive *spurius*, si alium, quam cui tribuitur, auctorem habet. Porro *integer* audit liber, qui non aliud continet, quam quod auctor scripsit; sin quidquam illi additum, aut demtum sit, *corruptus*, et specialim *interpolatus*, si quidquam additum, *mutilus*, si demtum.

51. Ut genuini a spuriis, atque integri a corruptis libris secerantur, tria prae oculis habenda sunt, nempe 1° *stylus*, nam certe spurius est liber, si stylus diversus sit a stylo auctoris, cuius nomen praesefert; 2° *dogma*, perspicuum enim est spurium, aut interpolatum esse librum, in quo memorantur res, aut personae aetate scriptoris, cuius nomen praesefert, recentiores, aut dogmata leguntur constanti Auctoris doctrinae adversa; 3° *tempus*, nam non licet pro genuinis habere opera, quae a priscis scriptoribus vel spuria, vel dubia existimata sunt, quia nulla sup-

petit via illorum authentiam comperendi<sup>1</sup>. Contra ea, dubitandum non est de authentia operum, quae vel ipse Auctor recensuit, vel scriptores pares, aut suppres ipsi tribuerunt, siquidem credibile non est illos mentitos fuisse, ubi mendacia facillime detegi potuerant. Item, si temporis ratio habeatur, procul dubio mutilus est ille liber, in quo ea desiderantur, quae a veteribus ex ipso prolata sunt; et corruptus, si haec aliter legantur<sup>2</sup>. Denique, si plures codices mss. eiusdem libri in diversis locis et temporibus, a diversisque hominibus exarati omnino inter se conveniunt, aut nonnisi levis momenti lectiones variantes exhibent, iste liber pro integro habendus est; fieri enim nequit, ut plures homines locis, et temporibus dissiti in eandem fraudem conspirent<sup>3</sup>.

52. Ad artem criticam, ut diximus, pertinet *Hermeneutica*, quae est *ars explicandi obscura auctoris sensa*. Iamvero obscuritas oriri potest 1° a scripturae ratione, puta si litterae in ea sint deformes, vitiosae interpunctiones, abbreviationes vulgo minus notae, mendaque scribarum, aut typographorum; 2° ab usu verborum, nempe si ea sint obsoleta, nova, peregrina, aequivoca, et superflua; 3° ab ipsis sententiis, uti si hae non satis ab Auctore explicatae sint.

53. Cum una, vel plures ex his, obscuritatis causis adsunt, ut germanus sensus Auctoris certe, aut saltem probabiliter deprehendatur, hae regulae servandae sunt:

- 1° Codices mss., et libros emendatiores consulere necesse est.
- 2° Oportet linguam callere, in qua liber scriptus est, vel uti perfectis versionibus, nempe confectis ab interprete spectatae doctrinae, et probitatis, adeo ut constet eum neque falsum esse in interpretatione, neque ita interpretatum esse, ut alios deciperet<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Hac de causa Evangelia Petri, Thomae, Mathiae, Acta Andreae etc. spuria esse Eusebius (*Hist.*, lib. III, c.25) ostendit.

<sup>2</sup> Ob quam rationem Tertullianus (*Contr. Marc.*, lib. IV, c.4) Evangelium s. Lucae a Marcione corruptum fuisse probavit.

<sup>3</sup> Ita s. Augustinus (*Epist.* LXXXII, n. 6) adversus Manichaeos ostendit falsa non esse s. Scripturae loca, quae eorum erroribus adversabantur, quippe quae neque in *pluribus*, neque in *antiquioribus exemplaribus* desiderabantur.

<sup>4</sup> Id genus esse versiones sacrorum Librorum, quibus Ecclesia Catholica utitur, certo certius est non solum ex eo, quod Ecclesia Catholica illas



3° Verba ambigua, vel minus propria interpretanda sunt ex tempore, in quo Auctor vixit, atque ex placitis, quae ipsum amplectum esse constat <sup>1</sup>.

4° Sententias obscuras Scriptoris explicare oportet ex fine, quem ipse sibi proposuit, ex iis, quae antecedunt, et consequuntur, ex vitae ipsius conditione, et professione, et ex collatione locorum, in quibus Auctor eandem doctrinam exposuit.

probavit, sed etiam ex eo, quod, ut Theologi ostendunt, a doctissimis, et probatissimis viris confectae sunt.

<sup>1</sup> Hac regula s. Augustinus (*De vera Relig.*, c. 40, et alibi) monuit explicandas esse quasdam veterum Scriptorum locutiones, quae haeresibus post eos exortis favore videntur.



## DYNAMILOGIA

1. Illa pars Philosophiae, quae circa facultates animae versatur, *Dynamilogia* nuncupatur, atque ad eam scientiam animae pertinet, quae *Psychologiae* nomen habet <sup>1</sup>. Nos primum de facultatibus animae generatim disseremus; deinde singularum naturam, modum operandi, obiectumque proprium scrutabimur; ex qua investigatione primum nobis erit colligere, quomodo illarum facultatum, quae cognitrices dicuntur, subsidio ad primas cognitiones rerum perveniamus, et quaenam vis ipsis insit ad certam cognitionem rerum gignendam.

### CAPVT PRIMVM

#### De facultatibus animae in universum

##### ART. I. Quid facultatum nomine veniat, explicatur

2. Facultas, sive potentia animae a s. Thoma ita definitur: *Proximum principium operationum animae* <sup>2</sup>.

3. Ut haec definitio recte intelligatur, explicandum in primis est, quid nomine *animae* veniat. Eorum, quae in hac rerum universitate existunt, alia *viventia*, altera *non viventia* dicuntur. *Viventia* sunt, quae se ipsa movent, id est operationes suas ex se exerunt, quin a causa extrinseca impellantur; e contrario, *non viventia* sunt, quae se ipsa non movent, id est non nisi a causa extrinseca ad agendum impelluntur <sup>3</sup>. Porro illud, per quod res aliqua vivens est, vocatur *anima*; unde anima in universum definitur a s. Thoma, *primum principium vitae* <sup>4</sup>.

4. Iam principium, a quo actiones animae dimanant, est quidem eadem *essentia*, seu natura animae <sup>5</sup>. At vero ipsa suas actio-

<sup>1</sup> Unico *Psychologiae* nomine *Dynamilogia*, et *Anthropologia* significari solent. — <sup>2</sup> I, q. LXXVIII, a. 4 c.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c., et I, q. XVII, a. 1 c.

<sup>4</sup> I, q. LXXV, a. 1 c. Dicitur *primum*, nam etiam cor, cerebrum, et alia in corporibus animantium dicuntur principium vitae; ast huiusmodi non sunt, nisi per animam.

<sup>5</sup> *Essentia animae* illud est, secundum quod per eam et in ea habet esse;